

37. *Obj. II.* Ad assequendam Conciliorum mentem sufficit dici cum modo laudatis Theologis, pœnitentiam, quatenus fidei et caritati conjunctam, esse supernaturalem, non quia in se supernaturalis sit, sed quia vel directio fidei, vel amoris imperium seu ordinatio supernaturalis est.

R. N. *Assert.* Alias eodem modo dicam, spem vel caritatem secundum se actus supernaturales non esse, sed quoad directionem fidei: vel fidem in se supernaturalem non esse, sed ut caritate informatam. Sed et Concilium Trid. non tantum copulativum seu complexivum definit, gratiam esse necessariam ad collectionem illorum actuum, sed divisim et copulative ad singulos illos actus gratiam requiri; et ideo non sine causa utitur particula disjunctiva, *aut*. Non potest ergo secundum fidem negari, pœnitentiam simpliciter loquendo, actum supernaturalem esse. Denique cum actus pœnitentiæ, juxta Concilium Trident. Sess. 6. c. 6. et Sess. 14. c. 4. sit ultima ad gratiam dispositio, actum eundem necessario supernaturalem esse convincimur.

Inst. 1. Sufficit, si proxima ad gratiam dispositio ex directione caritatis sit supernaturalis: talis enim dispositio extra sacramentum includit detestationem peccati propter Deum summe dilectum. Ergo non solide concluditur, actum pœnitentiæ esse supernaturalem, nisi quoad hanc relationem.

R. N. *Ant.* Nam nuper jam ostendimus, singulos actus dispositione illa comprehensos, ex Synodi Tridentinæ doctrina, supernaturales esse.

Deinde ad ultimam dispositionem ad gratiam non solum non sufficit actus naturalis, verum ne quidem ullus eorum est necessarius: tum quia tota ultima dispositio est ordinis ejusdem, cujus est forma, ad quam disponit; tum quia si aliquis actus naturalis per se necessarius foret ad dispositionem talem, homo illum solius naturæ viribus inchoare et perficere posset, per se loquendo et seclusis extrinsecis impedimentis vel difficultatibus; atque ita per illum salutis suæ initium posset capere, quod sanæ doctrinæ in Conciliis, Arausicano præsertim, traditæ repugnat.

Inst. 2. Naturali lumine mentis cognosci potest, quod honestum sit detestari offensas Dei; ergo voluntas ex se sufficit ad peccatum detestandum, modo pœnitens gratia Dei instructus per virtutes theologicas sufficienter ad Deum ordinetur.

R. D. *Ant.* Naturaliter ista possunt cognosci utcumque T. naturali lumine cognosci hæc: possunt utiliter et prout oportet ad consequendam justificationem et vitam æternam N. *Ant. et Cons.* Actus, ad quem producendum necessario requiritur principium gratiæ, est simpliciter et quoad substantiam supernaturalis: atqui ad pœnitentiam, quæ sit dispositio ad justitiam, requiritur necessario fides supernaturalis, inspiratio sancti Spiritus et auxilium peculiare divinæ gratiæ, ut hactenus ostendimus; ergo. *Confirmantur* hæc ex can. 6. Concilii Arausicani (Lab. t. 4. p. 1668. B.), qui ita habet: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus... pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adiutorium, nec ut obedientes et humiles simus gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? 1. Cor. 4. v. 7. Et can. 7. Si quis per naturæ*

vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere... posse confirmat hæretico fallitur spiritu, etc. Pœnitentiæ vero actus est electio bona, quæ proxime ad salutem pertinet vitæ æternæ.

Inst. 3. Intentio suscipientis sacramentum non debet esse supernaturalis; ergo neque actus pœnitentiæ.

R. N. *Cons.* Intentio nec est dispositio proxima ad gratiam, nec hujus impetratio: est enim eadem sive sacrilege, sive cum fructu sacramenta frequententur. Secus res habet in actibus pœnitentiæ, de quibus S. Thomas q. 83. a. 5. in 0. *Ad pœnitentiæ, inquit, actus Deo operanti in pœnitentiâ cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Threnorum ult. v. 21. Convertite nos Domine ad te, et convertemur.* Et paulo ante dixerat, habitus pœnitentiæ *immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus: non tamen sine nobis dispositivè cooperantibus per aliquos actus.* Ergo actus pœnitentiæ salutaris non est naturalis: naturalium enim actuum habitus non infunduntur a Deo, sed nostra opera efficiuntur.

CAPUT III.

DE CONTRITIONE.

ARTICULUS I.

IN QUO CONSISTIT ESSENTIA CONTRITIONIS PERFECTÆ?

38. *Nota I.* Efficacissimum pœnitentiæ actum esse perfectam contritionem SS. Litteræ et perpetua Ecclesiæ traditio nos docent. Contritionis hujus genus est detestatio dolore mixta, ut Theologi omnes fatentur: per hunc enim actum convenit eum imperfecta contritione, quæ recentiorè vocabulo attritio appellatur. Cum vero Suaresius disp. 4. sect. 2. scribat, sibi post Solum aliquando visum fuisse, contritionem extra sacramentum justificantem concipi posse ex motivis justitiæ, religionis, gratitudinis et aliarum virtutum, quæ præmium aut pœnam non intuentur; eandemque opinionem ex recentioribus plures secuti fuerint: quaeritur in præsens, utrum differentiam perfectæ contritionis statui oporteat in solo motivo caritatis Dei super omnia dilecti?

Nota II. Caritas generatim accepta quemlibet boni et recti amorem significat. Quo sensu B. AUGUSTINUS L. de gratia Christi c. 21. n. 22. *Quasi aliud sit bona voluntas quam caritas. Quid est, inquit, caritas, nisi bona voluntas?* et L. de morib. Eccl. c. 15. n. 25. *Nihil omnino virtutem esse affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Quælibet virtus, inquit, est ordo amoris.* Nimirum, ut S. THOMAS 1. 2. q. 62. art. 2. ad 3. notat, *quælibet virtus dici-*

tur esse ordo amoris, in quantum ad quamlibet cardinalium virtutum requiritur ordinata affectio; omnis autem affectionis radix et principium est amor.

Pressius sumpta caritas est amor, quo in Deum ferimur. *Est autem amor quidam perfectus, quo aliquis secundum se amatur; utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Amor vero imperfectus est, quo quis amat aliquid non secundum se ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat; sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad caritatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum: sed spes pertinet ad secundum amorem; quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.* Hactenus S. THOMAS 2. 2. q. 17. a. 8. in 0. Ex qua doctrina constat, solo amore caritatis perfectæ ac proprie dictæ amari Deum super omnia simpliciter et absolute, scilicet cum quis se ipsum explicite in Deum ita refert, ut suum ultimum finem tam objectivum, quam subjectivum positive et explicite in Deo constituat; qui actus caritatis, amor benevolentie et amicitie nuncupatur.

Quamquam autem actu spei etiam Deum, tanquam ultimum finem objectivum, super omnia diligamus, in quantum ita comparati sumus, ut rerum omnium, ac vitæ quoque subire dispendium malimus, quam Deum offendere: quia tamen actu spei nondum nos ipsos in Deum expresse referimus, nec simul ultimum finem subjectivum in ipso explicite ac positive reponimus; caritas ista est imperfecta, amor concupiscentiæ, dilectio Dei super omnia secundum quid, et in aliquo tantum genere.

39. *Dico.* Perfecta contritio, qua extra sacramentum justificamur, debet esse detestatio peccati ex motivo perfectæ caritatis, qua Deus super omnia amatur. Est communis Theologorum cum S. Thoma q. 85. a. 6. et q. 86. a. 3. in 0. ubi ait, ad rationem veræ pœnitentiæ esse, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.

Prob. I. S. Scriptura vim omnem, quam pœnitentia habet ad delenda peccata, caritati tribuit. Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Ergo non diligenti nihil dimittitur. Nam *qui non diligit, manet in morte.* 1. Joan. 3. v. 14. et cap. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* 1. Petr. 4. v. 8. *Caritas operit multitudinem peccatorum.*

Talem autem amorem debere esse caritatem perfectam, quo Deus super omnia amatur, eadem S. Scriptura locis variis ostendit. Deut. 4. v. 29. *Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quaesieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ.* Joel. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra.* Matth. 22. v. 37. *Ait Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mentè tua.* Isai. 31. v. 6. *Convertimini sicut in profundum recesseratis.* Atqui talis conversio solum fit per caritatem perfectam: nam sicut peccator ante averterat se a Deo, et ad creaturam converterat, hanc præferendo amicitie divinæ et pro fine ultimo cui constituendo: ita vicissim perfecte debet a creatura averti, et converti ad Deum, hunc solum pro ultimo fine cui constituendo. Hoc autem fit tantum per caritatem: virtutes enim ceteræ, quia ipsi homini

suam honestatem amant, hunc eundem hominem habent pro fine cui, etsi ulterius a caritate ad Deum tanquam finem ultimum referendo.

Prob. II. Ex Patribus. S. AUGUSTINUS L. 2. contra Cresconium c. 12. ait: *Mundantur (peccata) sacrificio contriti cordis... mundantur ipsa quæ supereminet omnibus caritate... quæ una si adsit, omnia recte fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt.* Et serm. 7. de temp. (al. in appendice serm. 117. in natali Domini 1.). *Pœnitentiam, inquit, certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei.* Et L. 21. c. 27. de civit. n. 2. *Si pro uno scelere omnia sua distribuunt indigentibus membris Christi, nisi desisterent a talibus factis (peccatis), habendo caritatem, quæ non agit perperam, nihil eis prodesse potest.* Et auctor libri de vera et falsa pœnit. c. 9. n. 24. *Quomodo aliquis sine amore Dei consequeretur indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam.*

S. GREGORIUS homil. ult. in Ezechielem circa finem L. 2. hom. 10. n. 20. (opp. p. 1428. B.) docet, compunctionem alteram ex timore proficisci, saltem ex amore: et hanc quidem esse perfectam, ad quam prior viam parat.

His accedit Concilium TRIDENT., quod Sess. 14. cap. 4. tradit, solam contritionem, quæ caritate perfecta est, sufficere ad remissionem peccatorum extra sacramentum re ipsa susceptum: non vero eam, quæ ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ et pœnarum concipitur. Atqui contritiones seu peccati detestationes ex motivo justitiæ, religionis, aut alius virtutis moralis obortæ concipiuntur ex motivo turpitudinis: detestatio vero peccati ex spei motivo pœnam damni metuit; ergo secundum doctrinam Synodi TRIDENTINÆ non sufficiunt ad perfectæ contritionis effectum.

40. *Obj. I.* Veræ pœnitentiæ promissa est peccatorum remissio: atqui detestatio peccati ex motivo justitiæ, religionis, gratitudinis est vera pœnitentia; ergo.

R. D. M. Pœnitentiæ, quæ sit perfecta ad Deum conversio, promissa est venia C. si non sit perfecta ad Deum conversio N. Hac explicatione plures adhuc objectiones expediuntur: nam licet nonnullæ virtutes detestentur peccata universim suo modo super omnia, etiam appetitive: licet avertant hominem a peccatis, et ad Deum convertant; multo tamen hæc imperfectius præstant, quam caritas. Nec sufficit, illarum actus a caritate informari aut imperari: hoc enim casu ad peccatorum remissionem non disponerent, sed hanc præsumerent.

Inst. In baptisimi et pœnitentiæ sacramentis peccata dimittuntur sine caritate perfecta; ergo de hac sola non sunt intelligenda S. Scripturæ et Patrum testimonia.

R. N. Cons. Tametsi S. Scriptura loquatur generatim, excipiuntur tamen casus ab eadem indicati; ut ex pluribus aliis constat. Christus enim ministris suis potestatem absolvendi non contulit gratis, sed consulere voluit infirmitati humanæ sacramenta instituendo, quæ ex attritis contritos facere dicuntur, non quidem formaliter, sed æquivalenter, substituendo aliquid æquivalens dilectioni, nempe sacramentum, quod effectum eundem præstaret.

41. *Obj. II.* Amor, quo S. Paulus Philipp. 1. v. 23. cupiebat *dissolvi et esse cum Christo*, erat amor perfectæ caritatis : atqui amor ille includebat motivum propriæ felicitatis : unio enim cum Christo necessario supponit et objectum quod diligitur, et subjectum quod diligit ; ergo ex motivo spei actus perfectæ caritatis et contritionis potest concipi.

R. N. *min. cujus prob. D.* Unio cum Christo supponit objectum seu Deum qui diligitur propter summam suam perfectionem in se absolute consideratam C. propter suam bonitatem spectatam relative ad nostram beatitudinem N. Explicatio ista petitur ex S. Augustino, qui L. 3. de doctrina Christiana c. 10. n. 16. ait : *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter seipsum, et se atque proximo propter Deum.* Cum quis amat beatitudinem tanquam bonum sibi, ita ut beatitudo sit proxima ratio amandi tale bonum, est amor proprius concupiscentiæ, specie alius ab amore caritatis. Quando autem quis sibi amat beatitudinem immediate et proxime propter gloriam Dei, ut hunc tanquam amicum præsentem habeat, ac de bonis ejus gaudeat, amor iste, licet materialiter possit denominari concupiscentiæ ob beatitudinem, quam quis sibi amat, formaliter tamen et quoad motivum est amor amicitiae : cujusmodi erat desiderium Pauli ad Philip. 1. v. 23. Ita Suar. L. 2. de necessit. grat. c. 13. n. 23.

Inst. 1. Deus per caritatem diligitur ut beneficus et beatificus : atqui non potest ita diligi sine respectu ad bonum quod ex ipso speramus ; ergo sine motivo spei caritas non elicitur.

R. D. M. Deus per caritatem diligitur, ut beneficus ratione principii C. ratione termini N. Diligitur Deus ens a se, principium omnium perfectionum, inter quas continentur etiam benignitas et ratio finis ultimi seu beatitudo objectiva : quamvis beneficia in nos derivanda, item possessio et fructio summi boni, qui sunt termini divinæ benignitatis, ac Deitatis beatificantis, a caritate directe non spectentur. Secundum hactenus dicta accipi debet, quod S. Thomas 1. 2. q. 65. a. 5. ad 1. et q. 114. a. 4. scribit, caritatem esse amorem Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum : nimirum ratione summæ suæ perfectionis, ob quam non solum est principium omnium rerum, sed etiam illarum finis et beatitas.

Inst. 2. Non potest homo se exuere desiderio naturali, quo in beatitudinem fertur ; ergo desiderium istud in omnem caritatis actum se insinuat.

R. D. *Ant.* Non potest se homo exuere desiderio, quo in beatitudinem fertur vel formaliter, explicite, vel virtualiter tantum, implicite, materialiter ac præsuppositive C. quo in beatitudinem semper feratur formaliter et explicite, quasi actus quilibet sit formale beatitudinis desiderium N. In actibus liberis mentem a beatitudine ita avocare possumus, ut non formaliter propter hanc, sed propter absolutam objecti excellentiam operemur. Quoniam autem innatum nobis est erga beatitudinem generatim desiderium, hoc ipsum semper virtualiter, materialiter vel præsuppositive nobis inest, etiam quando ex caritate purissima agimus : quæ quidem caritas desiderium beatitudinis adeo non rejicit, ut illud una cum spe etiam imperet. Nam et amor quo in Deum ut nobis bonum ferimur, castus, purus et gratuitus dici meretur intuitu amoris mercenarii, quo Deum ob temporalia bona diligitur ; non vero caritati perfectæ comparatus ; etsi simpliciter sit castus et purus hoc sensu, quod bonus, honestus, necessarius et supernaturalis sit.

Distinctione data explicanda sunt, quæ S. Bernardus epist. ad Guigonem n. 8. (opp. t. 1. p. 31. edit. Mabill.) de quarto amoris gradu disserit : *Nescio, si a quoquam hominum in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt : mihi, fateor, impossibile videtur.* Hoc est, nemo tam pure Deum diligere potest, ut in corde suo propriæ beatitudinis desiderium extinguat.

Inst. 3. S. Th. 2. 2. q. 23. a. 5. ad 2. Una sola, inquit, ratio diligendi attenditur principaliter a caritate divinâ bonitas, quæ est ejus substantia... Aliæ autem rationes ad diligendum Deum inducentes sunt secundariæ, et consequentes ex prima. Ergo ratio qua Deus intuitu beatitudinis nostræ diligitur, est motivum saltem secundarium caritatis.

R. N. *Cons.* Rationes illas secundarias, ait S. Doctor, esse tantum dispositiones, quæ ad perfectam dilectionem præparamur : cujusmodi sunt beneficia, præmia sperata, aut pænæ evitandæ, quibus disponimur ad hoc ut in dilectione proficiamus, ut exponit ibidem q. 27. a. 3. In quem sensum antea q. 23. a. 1. et 5. et q. 25. a. 10. *Amicitia caritatis*, inquit, fundatur super communicationem beatitudinis, nimirum tanquam super dispositionem excitantem ac moventem ad caritatem.

Inst. 4. S. Bernardus L. de diligendo Deo c. 1. n. 1. et c. 7. n. 17. (opp. t. 1. p. 584. A. et 591. C.) ait, *ob duplicem causam Deum dixerim propter seipsum diligendum : sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius diligi potest... Dubitari namque potest quid potissimum dubitetur : utrumnam, quo suo merito Deus, aut certe quo nostro sit commodo diligendus.* Ergo.

R. N. *Cons.* Explicatio data jam est in responsione ad obj. 2. et ad ejus instantiam. Quam doctrinam magis adhuc illustrat Suaresius disp. 1. de objecto materiali et formali caritatis, ubi ait, S. Thomam 2. 2. q. 23. a. 4. hoc sensu dixisse, *speciale objectum caritatis esse donum divinum, ut est beatitudinis objectum : quia Deus ut objectum beatitudinis non amatur propter aliud tanquam propter finem : finis enim ultimus ut sic, non amatur propter aliud.* Sive ergo S. Bernardus Deum caritate pura, sive affectu spei diligendum esse pronuntiaverit, ex modo dictis patet, semper propter seipsum diligendum.

ARTICULUS II.

DE QUANTITATE CONTRITIONIS.

42. *Nota I.* Postquam de contritionis essentia disputavimus, juvat nunc ejus quantitatem expendere. Hæc vel est intensiva ob vehementiam actus ipsius : vel spectatur ratione temporis quo actus durat : vel ad objecta plura sese extendit, prout detestatio debet esse universalis. De quo argumento jam pluribus egimus : nam cum contritio perfecta caritate peccatum delet extra sacramentum, ut nuper ostensum fuit, atque alias adhuc probabitur : caritatis autem motivum sit vel maxime universale ; sequitur plane actum omnem perfectæ contritionis omnibus et singulis peccatis adversari, quod concl. 2. a. 2. cap. præcedent. demonstravimus.

Nota II. Restat nunc demum, ut de intensione et duratione actus, quo ex caritatis motivo peccata detestamur, breviter disseramus. Ubi singularis omnino est Adrianus in 4. q. 2. de poenit., ad veram contritionem exigens